



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 89. An causa excusans à restitutione, etiam excuset à furto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

non teneris restituere , quia pauper jus habebat ad illam accipiendam , Bonac. Lugo n. 5. Si tamen rem propriam habebas, quam dare posses, & dedisti alienam, videris teneri restituere, quia tenebaris pauperi illi subvenire , nec poteras arripere aut determinare rem alienam, quamdiu tibi propria suppetebat. An fur , qui rem alienam in extrema necessitate consumpsit , teneatur restituere, dictum est n. 288.

*Q. 89. An causa excusans à restitutione , etiam 435  
excuset à furto. R. Negativè , nam imprimis si res  
restituenda sit sub dominio tuo , patet ex dictis  
n. 430. te in gravi necessitate posse eam retinere ,  
neque tamen in tali necessitate liceret tibi simi-  
lem rem alienam surripere , utì dictum est p. 1.  
n. 955. Deinde etiam si res restituenda sit aliena ,  
adhuc docent authores n. 430. citati licet eam  
ad tempus teneri à debitore in gravi necessitate  
constituto , & tamen certum est ex dictis p. 1. n.  
955. non licere eam in gravi necessitate surriperi : similiter si gravem infamiam deberes subire ,  
excusaris à restitutione rei alienæ , neque tamen  
potes surripere , ut gravem infamiam caveas, ita  
Lugo D. 13. N. 49. Nec obstat, quod retentio seu non  
restitutione videatur esse continuata surreptio ,  
nam superveniente rationabili causâ non censem-  
tur moraliter continuari surreptio , nec præcep-  
tum restituendi ita obligat , uti præceptum non  
surripiendi: Ratio disparitatis est , i. quia præcep-  
tum restituendi videtur imitari præcepta affir-  
mativa ; & saltem requirit positionem actionis  
moraliter , præceptum autem non surripiendi  
est negativum ; jam autem præcepta negativa*

obligant, non tantum semper pro semper, sed etiam magis, quam affirmativa, ut per exempla ostendit Lugo N. 51., quia nempe negativa, cum solum prohibeant actionem, minus exigunt, ergo non tam facile est excusatio contra illa; affirmativa autem exigunt ponere aliquid, quod sit saltem moraliter positiva actio, quod plus est, ideoque facilis excusatur quis a transgressione, quia difficilis est ponere aliquid, quam nihil ponere, & ita etiam hic est, nam furando spolias dominum re, quam possidet, sed restituendo spolias tere, quam habes, facilis autem est non spoliare alterum, quam spoliare se ipsum, ideoque dominus non ita est invitus, si non restituas, quam si surripias, ergo causa excusans a restitutione non ideo excusat a surreptione. 2. Ille plus influit, qui primò & positivè causat damnum, quam qui illud jam positum permittit seu non impedit, surripiens autem primò & positivè influit; non restituens, tantum negativè, non tollendo, ergo hic facilis excusatur quam ille.

**436** Q. 90. *Quid addendum sit circa cessionem fori si-  
ve bonorum.* R. Seqq. §. 1. Qui cedit bonis, libera-  
tur quidem a carcere, nec amplius potest mole-  
stari in foro externo, attamen probabilius est  
cum Covar. Nav. Mol. Less. Castrrop. Lugo, fls. T.  
4. D. 3. N. 266. & aliis contra aliquos, si ad me-  
liorem fortunam redeat, in conscientia teneri  
satisfacere creditoribus, etiamsi Judex illi cesso-  
ni addiderit solennitatem ignominiosam, hæc  
enim adhibetur in poenam præsumpti criminis,  
ut homines deterreantur a contrahendis debitibus  
suâ substantiâ majoribus: notat tamen Dicast. D.